

2149

CODICES

2150

*Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.
O Crux lignum triumphale,
Mundi vera salus ave! *
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.
Medicina christiana!
Salva sanos, aegros sana,
Quod non ualet vis humana,
Sit in tuo nomine!*

Quae asterisco notavi, nitorem horum Rhythmorum deturpant. Et fortasse prior illa Strophæ tota irrepsit, et linea *Mundi vera salus ave*. Utraque enim liquido eliminari potest. Tò *Moyssis* tribus syllabis proferendum est.

DCCCXCVIII.

R. 2140 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 19. fol. max. magnifice nigro rubroque charactere luculentissimo exaratus continet *D. N. J. C. Passionem secundum Mat-*

*Dank sey vnserm herren Ihesu Christo,
Der vns erlöset hat durch sein leyden von der Helle.
O Ihesu Christ! Dein Nham der ist so gwaltiglich,
Dafür auch sich ein iglich knie thut neigen &c.*

DCCCXCIX

U. 38 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 166. f. per duas columnas probe exaratus, rubro distinctus, literis initiorum, iconi-

*Quique cantus ad octauas salit et ad decimam
Et ad quintas (a) finali poterit descendere.
Quando plagæ et autenti non sunt differentie
At autenti ad octauas competenter saliant*

*Assistentes crucis laudi,
Consecrator crucis! audi,
Atque Servos tuæ crucis
Post banc vitam veræ lucis
Transfer ad palatia.
Quos tormento vis servire,
Fac tormenta non sentire,
Sed cum dies venit iræ,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.*

thæum quatuor Vocibus in usum, ut videtur, Capellæ Caes. aulicæ illigatam, Notisque musicis subscriptam Accedit de eadem Passione *Canticum* eodem modo adornatum ab egregio Compositore. Versio germanica non optimi commatis. Ita Versus 8. et 9. C. XXVI. *Ut quid perditio hæc? Potuit enim unguentum istud vendari multo &c.* sic redditus: *Wotzu dienet dieser vnrat? Diefes wasser bette mocht tewer verkaufft werden.* *Canticum* ita incipit: *Conclusio:*

fmis et figuris quamplurimis picturatis decorus, et optimæ notæ complectitur sequentia: I. Schemata tria *Tonaria*, quorum primo inscriptæ *Regulæ* hujusmodi metricæ:

2151

LITURGICI.

2152

*A finale vno tono atque semitono
Præter vocem quintam, sub Ditono deponitur.
Quod si plagas ab autentis conuenit discernere
Plagæ saliant ad quintam et ad sextam sepius
Et ad quintam declinando sibi satisfaciunt.*

Alteri vero:

*At autentis ad octauas competenter saliant
A finali vno tono neque cadunt amplius.
Quod si plagas ab autentis conuenit discernere
Plagæ saliant ad quintam nec vadunt ulterius
Et ad quintas declinando sibi satisfaciunt.*

Tertium est de Tono Duplo, Tertio, Sesquialtero, Sesquitercio. Pag. 2. et 3. exhibentur Monochorda Ottonis, Guidonis, Willelmi Abb. et Regulare Boetii, omnia eleganter delineata, et respicientia ad secuturos in Codice Tractatus, quibus p. 4. a recentiore manu accedunt Figuræ geminae Tonorum diversitatem docentes.

II. fol. 4. prævia rudi sed conspicua et totam paginam occupante Boetii sedentis Icone picturata, literis uncialibus miniatis: Anitii Mallii Severi. (nirerasum) Boetii Viri. Cofularis. Ex ordine Patricii. Liber. Primus. Musicæ. Artis. Incipit. Libros V. de Musica reliquit illustris hic Sec. VI. Scriptor, qui cum reliquis ejus Operibus extant impressi Basileæ 1570. a p. 1063. f. hoc initio: *Omnium quidem perceptio sensuum ita sponte ac naturaliter &c.* quo loco primam in Codice literam O rursus Boethius occupat sedens et dextra *Δεκαχορδον* tangens, sinistra tubam ori admouens. Ephorum *Spartanorum Περσελευμα*, quod statim

Cap. 1. occurrit, nos et in ipso contextu, et separatim ante Libri initium habemus, ubi inscribitur: *Secundum aliud exemplar hec Græca scriptura postea in libro aliter habetur.* Utrique Exemplo versio interlinearis latina miniata addita est, sed utrobique Græca multum vacillant. Possent tamen ex utriusque comparatione expendi lectio, quam hujus S. C. exhibet *Jos. Scaliger ad Manilii Astronomicon, L. Bat. 1600. in not. ad Sphaer. barbaric. p. 426. 4. a se ex obsoletis, ut ait, vestigiis restitutam.* Atque, ut aliquid innuam, ubi ille legit: *και ποιηται αντι καθαρως και τεταγμενας ἀμφιεννυται ταν μωαν,* et Editio Boethii: *και ποιικιλαν αντι ἀπλοαν και τεταγμεναν ἀμφιαχυριαν μολπην,* Codex primo loco habet *ποιικιλεν*, altero *ποιικηται*, utroque loco pro *καθαρως ἀπλην* et *ἀπλοαν* et cum Scaligero *μωαν*, et quamvis mendose scriptum *ἀμφιεννυται*. Textus ipse Boethii sat castigatus est; sunt tamen, quæ e Codice adoptes. Ita mox C. 1. *Vulgum* uero ipsa quoque dubitatio &c.

A a 2

&c.

&c. pro *Vulgus quoque ipsa dubitatio* &c. *Id, quod oculis intuetur, pro invenitur. In inuestigatione ueritatis laborent, pro ad inuestigationem* &c. *Ad morum similitudinem pro morum similitudine* &c. *Henr. Glareano, qui ad calcem edit. supra cit. p. 1173. Boethium emendasse et figuris, demonstrationibus que auxisse dicitur, ultima Textus verba defuisse videntur; finit enim: talia esse debent, ut duæ proportiones, quæ gravitati sunt proximæ, minores sint ea proportione, quæ relinquuntur ad acutum, in non spissis vero, ut in diatonicis generibus, nusquam una.* Codex vero non tantum errorem relinquuntur per relinquitur corrigi, sed fini rite addit: *proportio uincat duas.*

III. fol. 35. Ultima cuiusdam Tractatus Musici sequuntur, quæ ex abrupto incipiunt: *Nete yperboleon itaque habet iota extensum sic V. Paranete yperboleon II gre-*

cum extensum. II. Trite yperboleon Y simplex Y. &c. Itaque præcedentia deperiisse videntur. Moment haec *Introduktionis Musicae Alypii* editæ a *Marco Meibomio* T. I. *Ant. Mus. Amstelod. 1652.* 4. Sed hominis posterioris latini esse evincunt Exempla, quibus utitur: *Erunt primi nouissimi. Aue Maria. Volo pater* &c. Et est reipsa Fragmentum *Musicae Huchaldi* Monachi *Elhion.* Sec. X. editæ inter *Scriptores Eccl. Musc.* a *Celf. Mart. Gerberto* T. I. ubi p. 118. habetur.

IV. fol. 36. caractere unciali rubronigro *In nomine Domini Incipiunt Guidonis Versus de Musicae Explanatione Suique Nominis Ordine.* Præit Icon ampla *Guidonis* et *Theodaldi* Episcopi qui *Arctinam* sedem ab a. 1014. ad a. 1037. tenuit, unde aetas *Murgis* nostri Monachi O. S. B. constat. Versus porro ἀνεστραχοι sunt hujusmodi:

Gymnasio musas placuit reuocare solutas.

Ut pateant paruis habitę uix hætenus altis

Inuidię telum perimat dilectio cecum

Diva quidem pestis tulit omnia commoda terris.

Ordine me scripsi primo qui carmina finxi.

Versus hos excipit Epistola *Autoris* ad *Theodaldum* Ep. et Prologus. Ediderat haec *Baronius* T. XVI. *Annal. Eccl.* ad an. 1022. n. 23. et 24. sed e *Codice* mendofo, cui ne hic opem feram, facit editio egregia supra dicti doctissimi *Principis Scriptorum Eccl. Musc.* quæ T. II. *Guidonem* exhibet, cuique *Codex* noster ab Editore consultus satis consentit. Nam se-

quitur præmisso *Capp. XX.* *Elencho* primum *Micrologus*, dein *Regulae Rhythmicæ*, quibus præmissum ἀνεστραχοι nobis inscriptum est: *Iteratur Quidonis Prologumena De Camenę Suetæ Musesculis Suique Mentione Nominis*, et v. 4. meo iudicio rectius legit cum voce *ministri*, quam *Impressa Magistri*. Sub finem Versus ab: *Omibus ecce modis* &c. usque ad: *Est*

Est aliquid fatum &c. nobis defunt; sed melius puto legi *fatum*, quam *factum*. Has *Regulas Rhythmicas* excipiunt *Regule de ignoto cantu*, quae nobis terminantur in his verbis: *si ut debeant ex industria componantur*, omisso toto *Epilogo*, qui extat in *Editis*, et continuo succedit *Epistola Guidonis michabeli monacho de ignoto cantu directa*. *Tractatum Correctorium*, quem *Celf. Gerbertus e Cod. Tegernseensi* dubius addidit, noster ignorat.

V. fol. 46. praemissa itidem luculenta *Icone Autoris Incipit Musica domini Ottonis*, seu *Oddonis*, ut alii, *Abbatis*, quod simillimum vero, *Cluniacensis Sec. X.* de quo adi *Praefat. T. I.* mox citati *Principis*, qui praesentem *Dialogum* exhibet p. 252. *Ejus initium: Quid est Musica? M. Veraciter canendi scientia &c.* *Finis: minus iam subditus creatori. qui est benedictus &c.*

VI. fol. 49. praemissis 3. *Figuris* leviter tantum adumbratis et a *pietore* destitutis *Incipit Epistola domni Bern (onis) Abbatis ad Pilgerinum Agrippinum Archiepiscopum*. *Initium: Domno deoque dilecto &c.* *Preclara christianae fidei forma &c.* ut edit. cit. T. II. p. 62. ubi et in *Praef. de Bernone Augiensi Sec. XI.* *Scriptore* agitur. *Finis: ut finis sit prologi.* Verum in *Codice* nostro sequitur *Schema Tonorum aliquod*, et 22. *linear. Articulus*, qui incipit: *Autenticus protus cum plage suo sinem habet in lychanos ypaton*; et eo finito demum *clausula miniata:*

Explicit Liber Primus Regularum Venerabilis Bern Abbatis In Artem Musicam. Incipit Secundus Eiusdem De Mensurando Monochordo. Citat hunc *Nostri Librum Trithemius Scriptt. Eccl. n. 311.* Memoratur item in *Felleri Catal. Bibl. Paul. p. 328.* sed inter *Edita* a saepe dicto *Celf. Abbate* non comparet. Meminit is quidem *Codicis* nostri in *Praef. T. II.* fortasse tamen tempore exclusus examinare illum haud potuit. Itaque hic describendus est. Gaudet ille primum *Prooemio* cujus initium: *Quicumque aliquod sibi artificium inchoat, semper ad euentum festinat. Sed ubi est festinatio, laboris queritur adbreuiatio. Igitur ars quam (quae?) celerius res quaelibet (quaslibet?) ad unguem exequitur. iure ab omnibus eligitur.* &c. Sequitur *Conspectus* hoc rubro: *Incipiunt capitula de mensura monochordi.* En illa: I. *De mensura monochordi.* II. *De lineis monochordi in cromatico.* III. *De lineis in enarmonio.* IV. *De nominibus chordarum.* V. *De V. tetrachordis monochordi.* VI. *De diuersis concentibus simphoniarum atque uocum.* VII. *De speciebus dyateff. diapen. et dyapas.* VIII. *De octo tonis et eorum interpretationibus.* IX. *De finalibus eorum.* X. *de D ascensione uel remissione eorum.* XI. *De eadem re secundum modernorum inuentiones.* XII. *Recapitulatio operum.* C. I. ita inchoat: *A dextro semisperio quod est T. usque ad sinistrum quod est A. protenta epiphania quadripartitur &c.* C. XII. ita finit: *Et hec est*

mensura diatonici generis. in quo omnis legitimus nostri temporis cantus absque omni dissonantia discurret. Et additur: Explicit musica domni abbatis Bern. Tum continuo: Incipit mensura fistularum. Initium: Cognita omni consonantia fistularum &c. Particula haec edita e Ms. Admont. legitur T. II. supracit. p. 286. Sed in Cod. nostro adjunctam habet aliam, quae incipit: Si fistulae equalis grossitudinis fuerint &c. et pariter T. cit. p. 277. comparet sub nomine Gerlandi Can. Reg. et Scholastici S. Pauli Vefontini Scriptoris Sec. XII. desumpta ex alio Cod. Bibl. nostrae Palat. ut Cell. Editor testatur. Sequitur mox: De mensura organistri, hoc initio: Si organistri regulariter mensurandi subtilem noticiam habere uolueris &c. et: De Ponderatione Cymbali, hoc initio: De ponderatione cere primi Cymbali abicias quartam partem &c. Atque duas has περιγραφας in Editis non reperi. Subjicitur illis post vacuam integram paginam: Explicit Musica domni (nomen erasum) Incipit tonarius ejusdem. Atqui Tonarius hic Bernonis est, igitur erasum Bernonis nomen, id, quod et supra ad Mensuram Fistularum factum est, et ad ipsius Tonarii calcem, ubi legas: Explicit Tonarius Domni — — — Laus tibi sit christe per quem liber explicit iste. Quid porro Possessorem quendam Codicis olim induxerit ad abolendum Bernonem, et an huic, ut in Tonario, ita etiam in praecedentibus de Fistulis, Organistro et

Cymbalo Articulis injuria illata sit, altioris foret indaginis. Ego de Tonario id noto: usque ad Rubricam: Modi uel tropi quos usualiter tonos uocamus &c. quae in edit. T. II. p. 83. legitur, multo illud amplius extare in Cod. nostro, quam quidem in Palatino Vatic. et Admont. e quibus procurata est editio.

VII. fol. 62. p. 2. Incipit epistola Johannis ad fulgentium episcopum de arte musica. Initium: Domino et Patri suo venerabili anglorum antistiti fulgentio — iohannes seruus seruorum dei. quidquid patri filius. dominoque seruus &c. Johannem hunc in quibusdam Codd. adpellari Cottomum docuit Cell. Gerbertus cum in Praef. T. II. tum ad p. 230. reliqua ejus, uti et Fulgentii Episcopi, in incerto relinquere coactus. Tractatum ejus, quem novit Anonymus Mellic. c. 69. constantem Capitibus XXVII. edidit p. mox cit. ad eundem modum, quo in praesenti Codice legitur; Tonarium vero adjunctum, quod in Cod. folia duo occupat, omisit, cum a Bernonis Tonario parum discrepet. Johannem nostrum, si quidem Anglus fuit, in cognitione Externorum probe versatum fuisse, docent excitati Guido, Berno et Hermannus Contractus. In exemplum impressum Proemii mox ad initium irrepsit σφαλμα et sanitate fulget, quod tollit Codex noster: et sanitate fulget.

VIII. fol. 74. praevio Capp. XLI. elencho Incipit Proemium in artem musicam Willelmi abbatis

batis sub ipsius nomine et cuiusdam othlobi per dyalogum compositam. Init Othlohus: *Postquam donante deo petitionibus meis et questionibus in astronomica satisfacisti &c.* Extat Opusculum cum nostro Cod. collatum T. II. cit. p. 154. deque Autore *Hirsaugiensium* Sec. XI. Abbate in *Praef.* agitur.

IX. fol. 82. *Musica Clarissimi Viri Herimanni*, vulgo *Contracti* a labe corporis ✠ a. 1054 *Bernonis* syncellitae, ut ait Cels. *Gerbertus* in *Praef.* T. II. cuius p. 125. Librum hunc de *Monochordo* e Cod. praesenti descriptum protulit. Incipit is: *In consideranda Monochordi positione ea prima speculatio occurrit &c.* Locus ille postremus: *Ter terni sunt modi &c.* neque a nostro Codice abest.

X. fol. 90. *Incipit Musica Domini Henrici Augustensis Magistri.* Nihil de hoc Viro mihi comperitum est, qui e Codicis Scriptura praecedentibus subpar videtur. Praeteriit Cels. Princeps Abbas ejus Opusculum, quod institutio catechetica est, et sic ingreditur: *A. Estne musica genus an species? X. Species est & subalternum genus. A. Quomodo? X. Scientia artificialis cum in multa. etiam in musicam diuiditur. Est autem subalternum genus. quia in tres species subdividitur. quarum prima est. mundana. secunda humana. tertia artificiosa. A. Quae est mundana? X. Quam VII. planetæ. mundi uidelicet partes. sua volubi (li) tate efficiunt. A. Quae est humana? X. Quam uiuæ uoces hominum efficiunt. A. Quae est artificiosa? X.*

Quæ arte hominum composita. aut tactu ut in fidibus. aut statu ut in organis. aut percussione ut in cymbalis et tybiis perficitur. &c. Atque ita deinceps in *Tonorum* doctrinam introducit, solo ex autoribus *Ptolemaeo* citato. Extrema deficere videntur; postquam enim dixisset in vicem VII. Planetarum esse Literas *E F G A B C D*, finit: *Quod simpliciter seminis more iacta multipliciter surgunt*; atque in eo definit *Muscorum Manipulus*, novusque rerum nascitur ordo. Nam

XI. fol. 92. *Incipit rethorica martii tullii de inuentione.* Initium: *Sepe et multum hoc mecum cogitavi &c.* Textus multis rubricis interstinctus, satis emendatus est, et cum lectione *Ernestiana* probe consentit; habet tamen sub initium *maximas ciuitatum pro maximarum*, dein *ciuis fore putatur pro videtur*. item *sive artis initium sive studii sive exercitationis pro sive studii, sive artis, sive exercitationis &c.* et rursus *compulit in unum (omisso locum) et congregauit &c.* Liber II. abrumptur in his verbis non multum ante finem: *et pecunias in mare deicere — —*. Id quod queritur infima folii ora: *Hic precisa sunt duo folia. iusto an furto factum sit. et pars litteræ de pleno corpore sublata est. Puto petrus nutrit fures.* Quod an de Ecclesia in totum, an de quodam S. *Petri* Coenobio intelligendum sit, nescio.

XII. fol. 118. *Incipit Rethorica M. tullii ad Herennium.* Ita quidem tum; verum nunc inter
Eru-

Eruditos satis constat, IV. hos Libros non esse *Tullii*, sed aut *Cornificii*, aut alterius cujusdam docti Praeceptoris. Initium: *Etsi in negotiis familiaribus impediti uix satis otium studio suppeditare possimus &c.* Libri IV. finis: *si rationes conceptionis (praeceptionis) diligentia consequemur exercitationis.* Lectio satis castigata interdum ab *Ernestiana* tamen dissentit. Ita sub initium habet quod datur otium pro otii, *Gai* pro *C. Herenni*, recte intellegenda pro *recta* intelligentia, gloria commoti pro commodi, sed si te unum pro si te unum, *Demonstrativum est quod ponitur pro tribuitur, Deliberativum est in consultatione quod habet in se pro Deliberativum est, quod in consultatione positum habet in se, quibus quid locis pro quid quibus in locis &c.* Quorum saltem 70 commoti edito commodi praeferas.

XII. fol. 136. Incipiunt Capitula Geometricae Artis. Visum est ea huc adscribere, ut de ipsius Artis ratione plenius cognosceat. I. De geometricae artis meditantibus quid et qualiter eam debeant discere. II. Quid sit ipsa geometria et quae eius effectiva potentiae. III. De diuisione geometriae in quot partes diuidatur. IV. De utilitate geometriae. V. De ordine praescriptionis geometriae. VI. De ratione propositionis. VII. De dispositione geometriae. VIII. De descriptione ipsius. IX. De demonstratione summatum. X. De extremitatibus. XI. De principio mensurae. XII. De generibus mensura-

rum. XIII. De generibus angulorum. XIV. De speciebus linearum. XV. De modis formarum. XVI. De petitionibus et conceptionibus quae sunt in geometria. XVII. De proportione et proportionalitate. XVIII. De finibus et uariis mensuris. XIX. De agrorum qualitibus. XX. De generibus limitum. XXI. Quomodo latine littere ad demonstrationem limitum aptandae sint. XXII. De expositione limitum uel terminorum. XXIII. Quomodo littere latine siue grece terminorum rationem et locorum qualitatem designant. XXIV. De conditionibus et mensuris agrorum. XXV. De figurarum diuersis et arearum mensuris in eisdem per argumenta comprehensis. XXVI. De geometria columnarum et mensuris aliis. XXVII. De limitibus constituendis secundum rationem solis. XXVIII. De mundi magnitudine et circulis planetarum. XXIX. De quinque zonis celestibus et zodiaco circulo. XXX. De gnomonica institutione et umbrarum discurfu. XXXI. *Ambrosii macrobii theodosii de mensura et magnitudine terrae et circuli per quem solis iter est.* XXXII. *Item eiusdem de mensura magnitudine solis.* XXXIII. *Felicis capellae de mensura lune.* XXXIV. *Eiusdem argumentum quomodo magnitudo terre deprehensa est.* Vides, plura paene praestari, quam quidem edixit Rubrica. At vero cui haec debentur? Christianum hominem fuisse haec C. 2. sensa palam faciunt: *Jovem suum (Philosophi) in operibus proprijs geometriare*
te-

testantur, quod nescio utrum laudibus aut uituperationibus applicetur. Quando quod illi pingunt in puluere coloreo iouem facere mentiuntur in celo. Quod si uero creatori et omnipotenti deo salubriter applicetur &c. Atque, ne Lectorem morer, Cassiodori sunt de liberalib. Lit. C. 6. quod est de Geometria, et habentur edit. Garet. T. II. p. 588. ubi autem Cassiodorus Censorinum citat, Compiler noster non contentus totum ejus locum, qui est de Pythagora Mundum musica ratione factum esse docente, et Libri de Die Natali c. 13. edit. Lugd. B. 1743. p. 57. constituit, inferit, et c. suo 3. ad Cassiodorum redit. A. c. 4. usque ad c. 18. multum utitur Boethii Geometria et Isidori Origg. Libro III. Caput 18. et 19. illi subpeditat idem Isidorus L. XV. c. 13 — 15. sed c. 19. adtextus est Syllabus Agrorum, quem exhibet Goesius in Rei Agrar. Auct. Amst. 1674. 4. p. 26. post Siculum Flacc. et quidem productior editis; adjectus enim est: Ager relictus extractus. Ager noxiorum. Ager inopum. Ager locorum sacrorum. Ager cineribus deputatus. C. 20. partim ex Hygino de Limitib. constit. edit. mox. cit. p. 150. partim depromptum est rursus e p. 26. nominibus tamen Limitum cum nominibus Agrorum conjunctis. C. 21 — 23. legitur inter Var. Auct. de Limitib. edit. cit. p. 263 — 80. C. 24. a p. 311. ad p. 315. et verba: in arcu esse dicimus, deinceps autem in Cod.

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

sequuntur Problemata II. de sciendo Arborum numero in datis Agris, et III. de sciendo Jugerum numero in datis Montibus, quae in Rigaltii et Goesii Exemplis defuisse videntur. C. 25. et 26. ad Euclidis Elementa exacta sunt, multis tamen figuris carent. C. 27. — 30. rursus ex Hygino sunt in edit. cit. reperienda inter pagg. 153 — 177. C. 31. Macrobiani est L. I. in Somn. Scip. edit. Londin. 1694. a p. 70. ad 71. et C. 32. a p. 71. ad 72. C. 33. e Mart. Capella decerptum legitur L. ejus VIII. de Nupt. Philolog. edit. Plantin. Rapheleng 1591. p. 290. 8. C. vero 34. five ultimum non tam verba ejus, quam sensum repraesentat, idque e Libro VI. edit. cit. p. 194. neque integrum est, idque dolendum. Fortassis enim ad calcem operosae hujus Excerptiois aderat Compileris nomen, quem et hominem intelligentem, et multis Codicibus instructum fuisse oportet, e quibus quae adfert, opportuna sunt ob lectionis varietatem cuius, qui olim aliquem ex Auctoribus citatis sub limam revocare velit.

XIV. fol. 146. ἀνεπιγέγραφοι: Iginus. M. fabio. plurimam salutem. Itaque C. Jul. Hygini, de quo Oß. Augusti Liberto, et ipso quondam Bibl. Palat. Custode videri potest Fabricii Bibl. lat. L. II. p. 3. Poeticon Astronomicon prae manibus habemus, et quidem non in Libros IV. sed in Articulos, quorum quidam Rubricis gaudent, distinctum, parteque illa, quae

Bb

quae

quae mythologica est, Figuris XL. ornatum, cum Editio princeps *Veneta* 1482. 4. et ultima *Aug. van Staveren Lugd. Bat. et Amst.* 1742. 4. Figuras in parte astronomica exhibeat. Initium Prooemii est: *Etsi te studio grammaticæ artis inductum &c.* Ad calcem: *Explicit proemium. Incipit liber ygini.* Ita: *Mundus igitur appellatur is qui constat ex sole et luna &c.* Lectio cum edit. *Batava cit.* probe conspirat; offert tamen quaedam, quae haec ne quidem in *Notis* tangit, utut praeferenda videantur. En specimen e Prooemio: *Diximus etiam inde aestivi circuli definitionem, pro in aestivi circuli definitione Item: quare non essent in sphaera superiora interioribus hemicicli equalia pro in sphaera superiore Demum: amplissima laus est doctis, omisso hominibus, quod alioquin paullo post redit. Deest tamen in Cod. fol. 158. p. 2. descriptio Arae inter Centaurum et Hydram, quae in Edit. cit. p.*

540. est L. III. c. 38. Desunt item extrema illa: *et zodiacum ad id signum &c.* et subscribitur: *Explicit liber ygini de astronomia.*

XV. fol. 162. iterum ex abrupto: *Quæ dum geruntur & deorum sacer sanatus numerorum concinentium repugnantiumque miratur anfractus &c.* Agnosco *Mart. Capellæ de Nuptiis Philologiae Librum VIII.* qui est *de Astronomia*, et extat edit. *Rapheleng. supracit.* p. 270. porrigitur vero in *Codice* usque ad *Stellam Mercurii* edit. cit. p. 297. in iis sistens verbis: *flexior equinoctialem pene directum secat.* Lectio ipsis Editis deterior est, neque multum opis inde sperandum *Capellæ.* Video tamen sub ingressum *Timæi sui caliginosa pro caligosa, interdita uocis pro inter doctæ, vernulaque, pro vernaculaque, &c.* quae certe sinceriora sunt. Ad calcem tam egregii, quam operosi *Codices* hujus istud diuæ *Διατρης* *Monitum* jacet:

Parcius ambigue fumantur fercula mense.

Plurimus in multis languor deprenditur escis.

DCCCC.

R.845 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 166. f. nitide perscriptus, liturgicus est, et inscribitur: *Agenda Der Christlichen Kirchen im Ertzbertzogthumb Oesterreich ob der Enns.* Qui in *Austria* supra *Anasum* ad *Luthe-ri* doctrinam deflexerant, Proceres, si *Raupachium* in *Evangel. Oesterreich* 1. *Fortsetz.* Hamb.

1741. §. 37. p. 257. et ex eo *Waldavium* in *Gesch. der Protestanten in Oestreich &c.* 1. B. *Anspach.* 1784. c. 52. p. 194. 8. audimus, jam a 1576. a *Maximiliano II.* veniam petierant proprium sibi condendi *Rituale Sacrorum*, cumque voluntas esset *Imperatoris*, ut illud adoptarent, quod a 1571. *Optimatibus* infra *Anasum* indulserat, detrectauerant, eorumque *Pastores* jam his, jam